

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

## **Dissertatio Logica, De Ratiociniis Conseqventiae Immediatae**

Rostochii: Typis Ioannis Iacobi Adleri, [1760]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1003399428>

Druck    Freier  Zugang



RU phil. 27.Aug. 1760

Becker, Henr. Valent.







Q. D. B. V.  
DISSERTATIO LOGICA,  
DE  
R A T I O C I N I I S  
CONSEQUENTIAE IMMEDIATAE,

---

QVAM,  
CONSENTIENTE  
AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE,

A. R. S. MDCCCLX, D. XXVII. AVGUSTI,

PVLICE DEFENDENT,

PRAESES

H E N R I C V S V A L E N T I N V S  
B E C K E R ,

PHIL. MAG. ET AD AED. IAC. ARCHIDIAC.

E T  
R E S P O N D E N S

I O A N N E S I A C O B V S E n g e l ,  
P A R C H I M E N S I S ,  
S . S . T H E O L . C V L T O R .

---

R O S T O C H I I ,  
T Y P I S I O A N N I S I A C O B I A D L E R I , S E R E N . D V C . A V L . E T  
A C A D E M . T Y P O G R A P H I .

СИГИФОЛЯ

БАТАЦИИМ ЗАПИСКИ

СТИХИИ ВЪ СОЛНЧИИ  
СИГИФОЛЯ ОДНОГО ДНЯ

СИГИФОЛЯ АУГУСТИН

БЕЛЫЕ СИГИФОЛЯ

СИГИФОЛЯ

HENRICAE TALENTINA

HENRICI

МАДАЛАНА АУГУСТИН

СИГИФОЛЯ

СИГИФОЛЯ ГРУДЫ

СИГИФОЛЯ

СИГИФОЛЯ

СИГИФОЛЯ ПОСЛАНИЕ КЪ СИГИФОЛЯ

СИГИФОЛЯ АУГУСТИН

V I R O  
PRAENOBI LISSIMO ATQVE PRUDENTI SSI MO,  
D O M I N O  
I A C O B O B R A S C H ,  
V R B I S P A R C H I M E N S I S S E N A T O R I P R I M A R I O  
L O N G E M E R I T I S S I M O ,

A V O S V O  
AD C I N E R E S V S Q V E V E N E R A N D O ,  
IN T E S S E R A M  
G R A T I P R O T O T T A N T I S Q V E I N S E C O L L A T I S  
B E N E F I C I I S , A N I M I ,  
D I S S E R T A T I O N E M H A N C A C A D E M I C A M  
D . D . D .

DEVM VENERATVS, QVI AD SEROS ANNOS

VIVERE IVBEAT

OPTIMVM SENE M,

VRBIS PATRIAEC DECVS ORNAMENTVMQVE

FAMILIAE,

VT NVNQVAM NON FAVERE SIBI VELIT,

ENIXE ROGAT,

I P S I V S

OBSERVANTISSIMVS CVLTOR,  
AC NEPOS,

IOHANNES IACOBVS Engel.



§. 1.



*Propositio* est iudicium terminis (symbolice) expressum.  
Iudicium autem combinatio idearum. Ideae, quae in propositione combinantur sunt subiectum et praedicatum, quae quidem constituunt materialia iudicii seu propositionis. Propositio itaque est combinatio subiecti et praedicati terminis expressa.

§. 2.

Propositio dispescitur

I. ratione quantitatis subiecti. Subiectum propositionis

1. vniuersaliter sumitur, dum praedicatum tribuitur omnibus inferioribus subiecti. *Propositio vniuersalis.*
2. particulariter sumitur, quibusdam subiecti inferioribus tribuitur praedicatum. *Propositio particularis.*

II. ratione qualitatis praedicati. Praedicatum est

1. idea positiva. *Propositio affirmans.*

2. idea negativa. *Propositio negans.* Vid. DARIES Int. ad art. inu. §. 146.

III. ratione relationis ad veritatem. Praedicatum propositionis, quod cum subiecto combinatur,

A. Subiecto competit. *Prop. vera.* Praedicatum competit subiecto

1. necessario, oppositum praedicati repugnat subiecto. *Propositio necessario vera.*

A 3

2. con-



2. contingenter, oppositum praedicati non repugnat subiecto.  
*Propositio contingenter vera.* Praedicatum proposit. competit  
 I. omnibus inferioribus subiecti singulatim enumeratis. *Pro-  
 positio vniuersaliter vera.*  
 2. solummodo quibusdam inferioribus subiecti. *Propositio par-  
 ticulariter vera.*
- B. Non competit praedicatum subiecto. *Propositio falsa.* Praedi-  
 catum subiecto
1. competere nequit. oppositum praedicati necessario competit  
 subiecto. *Prop. necessario falsa*
  2. potest competere. Oppositum praedicati contingenter com-  
 petit subiecto. *Propositio contingenter falsa.* Praedicatum  
 propositionis
  1. nulli ex inferioribus subiecti competit. *Prop. vniuersaliter falsa*
  2. solummodo quibusdam non competit. *Propositio particula-  
 riter falsa.*

### S. 3.

*Omnis propositio necessario vera, est vniuersaliter vera, non vice  
 versa.* Propositio dicitur necessario vera, quae tale praedicatum cum  
 subiecto combinat, quod non tantum subiecto competit, sed cuius op-  
 positum subiecto competere nequit (§. 2.). Omnibus itaque subiecti  
 inferioribus competit praedicatum propositionis. Hinc est vniuersaliter  
 vera. q. e. p. Si propositio est vniuersaliter vera: omnibus sub-  
 iecti inferioribus competit praedicatum. Hinc oppositum praedicati  
 nulli ex inferioribus subiecti competit. Inde autem inferri nequit,  
 oppositum praedicati repugnare subiecto; nisi concluderes a non esse  
 ad non posse. Si nullum est inferius subiecti, cui competit oppositum  
 praedicati, licet oppositum praedicati subiecto possit competitere:  
 propositio nihilo secius est vniuersaliter vera. q. e. a.

SCHOL. *Propositio Omne Triangulum habet tria latera est necessario  
 vera et vniuersaliter vera.* *Omnis homo est peccator,* et in genere, quae-  
 uis propositio, cuius praedicatum est modus constans subiecti, uni-  
 uersaliter vera est, non autem necessario vera.

### S. 4.

Si praedicatum propositionis competit omnibus inferioribus sub-  
 iecti: vel oppositum praedicati potest competere subiecto, vel non  
 potest.

7

potest. E. propositio vniuersaliter vera, vel est contingenter vera, vel necessario vera. (§. 3. 2.)

§. 5.

*Omnis propositio necessario falsa est vniuersaliter falsa, non vice versa.* Si propositio est necessario falsa: praedicatum subiecto omnino competere nequit. (§. 2.) A non posse ad non esse valet consequentia. E. nullum datur inferius subiecti, cui competit praedicatum. E. propositio est vniuersaliter falsa. q. e. p. Si propositio est vniuersaliter falsa: nulli ex inferioribus subiecti competit praedicatum. (§. cit.) A non esse ad non posse non v. c. Afferi itaque non potest, praedicatum subiecti inferioribus haud competens, iis non posse competere. E. non omnis propositio vniuersaliter fallit, est necessario falsa. q.e.a.

SCHOL. Triangulum est quadratum est propositio necessario falsa et vniuersaliter falsa. Homo est sine peccato propositio vniuersaliter falsa, non autem necessario falsa.

§. 6.

Si propositio est vniuersaliter falsa: praedicatum propositionis, quod nulli ex inferioribus subiecti competit, vel iis non potest competere, vel potest. Si prius: necessario falsa; si posteriorius: contingenter falsa est propositio. (§. 5. 2.)

§. 7.

*Omnis propositio particulariter vera, est contingenter vera, non vice versa.* Si propositio est particulariter vera: praedicatum solummodo quibusdam subiecti inferioribus competit. (§. 2.) Aliis itaque inferioribus subiecti oppositum praedicati competit. E. oppositum praedicati non repugnat subiecto et propositio est contingenter vera. (§. cit.) q. e. p. Alterum inde patet, quoniam propositio contingenter vera, potest esse vniuersaliter vera (§. 4).

SCHOL. Homo est dives est particulariter et simul contingenter vera propositio, Homo est mortalis contingenter et vniuersaliter vera.

§. 8.

*Omnis propositio particulariter falsa, est contingenter falsa, non v. v.* Propositio est particulariter falsa, si praedicatum solummodo quibusdam inferioribus subiecti non competit. E. aliis competit praedicatum. Hinc competere potest. E. propositio est contingenter falsa. (§. 2.) q. e. p. Alterum patet quoniam propositio contingenter falsa potest esse vniuersaliter falsa. (§. 6.)

SCHOL.



SCHOL. *Triangulum est aequilaterum, est propositio particulariter et contingenter falsa.* Cf. Sch. ad §. 5.

§. 9.

*Si praedicatum propositionis quibusdam solummodo inferioribus subiecti competit: reliquis inferioribus subiecti non competit. Et si praedicatum quibusdam solummodo inferioribus subiecti non competit: reliquis competit. Propositio, cuius praedicatum quibusdam solummodo subiecti inferioribus competit, est particulariter vera. Et cuius praedicatum quibusdam solummodo non competit, est particulariter falsa. (§. 2.) E. omnis propositio particulariter vera est particulariter falsa, et particulariter falsa propositio est parsiculariter vera.*

SCHOL. *Homo saluatur est particulariter vera propositio, quoniam finaliter credentibus praedicatum competit, et simul particulariter falsa, quia incredulis non competit.*

§. 10.

*Propositio, nisi eius praedicatum competit subiecto, vera dici nequit. (§. 2.) Uniuersalis itaque propositio, quae cum subiecto uniuersaliter sumto praedicatum combinat, (§. 2.) non erit vera, nisi praedicatum omnibus subiecti inferioribus competit. Sed propositio, cuius praedicatum omnibus subiecti inferioribus competit, est uniuersaliter vera. (§. 2.) E. Omnis propositio uniuersalis vera, est uniuersaliter vera.*

§. 11.

*Propositio particularis combinat praedicatum eum quibusdam inferioribus subiecti (§. 2.) Vera itaque erit propositio particularis, si praedicatum solummodo quibusdam subiecti inferioribus competit, h. e. si est particulariter vera. Cum autem praedicatum, quod subiecto uniuersaliter sumto competit, huic particulariter sumto quoque competit: propositio, cum quibusdam subiecti inferioribus praedicatum combinans, quod subiecto uniuersaliter sumto competit, est vera. E. propositio particularis vera, vel est uniuersaliter vera, vel particulariter vera (§. 2.)*

SCHOL. Sit venia verbo *propositio particularis uniuersaliter vera.*  
Si aptius tibi in mentem occurrit, in locum eius substituas. Paragraphus tertia ostendit rationem, quare hanc propositionem non appellamus *necessario veram.* Exempla facilissimo negotio occurunt. *Quoddam Triangulum est rectilineum est propositio particularis parti-*

*culari-*

culariter vera. *Quoddam Quadratum est rectilineum est propositio particularis vniuersaliter vera. Propositiones exclusivas, quas exclusi signi vocant, si verae sunt, semper sunt particulariter verae. Quod quidem particula exclusiva indicatur.*

### S. 12.

*Propositio, cuius praedicatum non competit subiecto, falsa est. Quare propositio, quae cum subiecto vniuersaliter sumto praedicatum combinat, seu *propositio vniuersalis*, non solum falsa est, si praedicatum subiecto omnino non competit; sed etiam, si non omnibus subiecti inferioribus competit praedicatum, licet quibusdam competit. In utroque enim casu non competit praedicatum subiecto vniuersaliter sumto. Propositio, cuius praedicatum subiecto omnino non competit, dicitur vniuersaliter falsa; et cuius praedicatum quibusdam solummodo non competit, particulariter falsa (§. 2.) E. *propositio vniuersalis falsa, vel est vniuersaliter vel particulariter falsa.**

COR. 1. *Propositio particulariter falsa est particulariter vera (§. 9.) E. *propositio vniuersalis falsa potest esse particulariter vera.**

COR. 2. *Propositio vniuersalis, particulariter falsa, falsa est, quantum est vniuersalis.*

SCHOL. *Omne Triangulum est Quadratum est propositio vniuersalis vniuersaliter falsa. Omne Triangulum est scalenum propositio vniuersalis particulariter falsa.*

### S. 13.

*Cum praedicatum propositionis particularis quibusdam inferioribus subiecti tribuitur: (§. 2.) falsa est haec propositio, si praedicatum quibusdam inferioribus subiecti non competit (§. cit.) Sit itaque praedicatum propositionis particularis ita comparatum, ut quibusdam solummodo ex inferioribus subiecti non competit: et propositio particularis erit falsa, licet particulariter. Sit porro praedicatum ita comparatum, ut nulli ex inferioribus subiecti competit: et hoc praedicatum quibusdam quoque non competit. Hinc propositio particularis est falsa, et quidem vniuersaliter (§. cit.) E. *propositio particularis falsa, vel est vniuersaliter falsa, vel particulariter falsa.**

COR. *Propositio particularis particulariter falsa, est particulariter vera (§. 9.) habitu nimirum aliorum subiecti inferiorum respectu.*

SCHOL. *Quidam homo est brutum est propositio particularis vniuersaliter falsa. Quidam homo saluatur est propositio particularis particulariter falsa.*

### B

### S. 14.



## §. 14.

Omnis propositio vniuersalis vera est vniuersaliter vera (§. 10.)  
Propositio vniuersaliter vera est vel necessario vel contingenter vera.  
(§. 4.) E. propositio vniuersalis vera est vel necessario vel contingenter vera.

## §. 15.

Propositio particularis vera est vel vniuersaliter vel particulariter vera (§. 11.) Propositio particulariter vera semper est contingenter vera (§. 7.) Propositio autem vniuersaliter vera, vel est necessario vel contingenter vera (§. 4.) E. propositio particularis vera, vel est necessario vel contingenter vera.

## §. 16.

Propositio vniuersalis falsa est vel necessario vel contingenter falsa.  
(§§. 12. 8. 6.)

## §. 17.

Propositio particularis falsa est vel necessario vel contingenter falsa.  
(§§. 13. 8. 6.)

## §. 18.

Propositio vel in plures resoluti potest propositiones, vel in plures resoluti nequit. Illam vocamus *compositam*, hanc autem *simplicem*.

## §. 19.

In omni propositione praedicatum combinatur cum subiecto. Quae praedicati cum subiecto combinatio, propositionis qua talis, naturam constituit. Simplicis nimurum; vniici praedicati cum subiecto vnicum combinatio. Negantis; praedicati negatiui cum subiecto, & affirmantis; praedicati affirmatiui cum subiecto combinatio. Vniuersalis; cum subiecto vniuersaliter sumto, et particularis; cum subiecto particulariter sumto facta praedicati combinatio. Ex quibus patet, quae sit natura propositionis simplicis vniuersalis affirmantis, aut natura propositionis simplicis particularis negantis etc. Si praedicatum est essentia, vel esentiale, vel attributum proprium, vel commune, vel modus subiecti: hoc ex natura propositionis qua talis cognosci nequit; sed nobis tantum innoteat, ad terminos certae & determinatae cuiusdam propositionis attendentibus. Nihil itaque eorum supponi potest, antequam fuerit probatum. Longe diuersae sunt argumentationes, quae ex natura propositionis cuiusdam deducuntur, ab iis, quae

quae fundamentum in specifica subiecti ad praedicatum relatione inueniunt. Illas vocabimus *consequentias formales*, & propositionem, cuius solam naturam consideramus, *formaliter spectatam*. Has autem, quae in materia propositionis, subiecto nimirum et praedicato fundamentum habent, *consequentias materiales* appellabimus, & propositionem, *materialiter spectatam*, si specifica praedicati ad subiectum relatio consideratur.

### §. 20.

*In omni propositione formaliter spectata tuto assumitur praedicatum esse ideam latiorem subiecto, donec probatum sit contrarium.* Vtrum enim alter propositionis terminus, sit alterius essentiale, an attributum, an modus; hinc, utrum sint ideae reciprocae, an subordinatae, aut coordinatae, ex natura propositionis qua talis, colligi nequit. (§. 19.) Natura propositionis nihil docet, nisi praedicatum combinari cum subiecto. Ex eo autem, quod praedicatum B. cum subiecto A. combinetur, inferri nequit, illud nulli praeter A. competere, nisi specifica huius praedicati ad subiectum relatio constet. Proinde tuto assumitur, praedicatum B. pluribus quam τῷ A. competere, seu, praedicatum esse ideam latiorem subiecto, donec probatum sit contrarium.

### §. 21.

Ratiocinium est propositio, cuius ratio desumitur ex alia propositione

1. ex pluribus propositionibus concatenatis. *Syllogismus ordinarius*
2. ex una propositione. *Consequentia immediata. Ratiocinatio per duos terminos.*

A. Ratio desumitur

- a) ex specifica relatione terminorum propositionis. *Consequentia immediata materialis.*
- b) ex natura propositionis. *Consequentia immediata formalis.*

B. Propositio, ex qua deducimus consequentiam immediatam est

- a) simplex,
- b) composita.

Combinatione cospecierum homogenearum nemo non cognoscit, quod distinguendas sint.



- I. Consequentiae immediatae formales
  - 1) ex natura propositionis simplicis. *Consequentiae immediatae stricte dictae*
  - 2) ex natura propositionis compositae. *Syllogismi compositi*
- II. Consequentiae immediatae materiales
  - 1) ex specifica relatione terminorum propositionis simplicis.
  - 2) ex specifica relatione propositionum, compositam constituentium.

Breuem, consequentiarum immediatarum, tam formalium quam materialium, theoriam, si Deo ita visum fuerit, dissertationibus academicis, enodabo. Huius autem dissertationis scopus est, ut regulas consequentiarum immediatarum formalium, ex propositione simplici deductarum, explicet.

## S E C T I O I. DE CONSEQUENTIIS IMMEDIATIS FORMALIBVS EX PROPOSITIONE SIMPLICI.

### CAP V T I. DE RATIOCINIIS CONSEQUENTIAE IMMEDIATAE, EX PROPOSITIONE SIMPLICI, GENERATIM.

§. 22.

**R**atiocinia, hac Sectione, indagabimus, quorum ratio in unicae propositionis, et quidem simplicis, natura continetur. Natura propositionis simplicis in combinatione unici praedicati cum unico subiecto consistit. (§. 18.) Ex hac itaque combinatione praedicati cum suo subiecto ratio delimitur, aliam formandi propositionem. Quam quidem, rationem formandi nouam propositionem, tam a subiecto propositionis ad eius praedicatum; quam a praedicato ad subiectum concludendo, inuenimus. Vtraque autem subiecti et praedicati idea, vel poni potest, vel negari. Octuplici itaque modo consequentiae immediatae ex data quadam propositione simplici inferri possunt. Sit propositio data: A est B, ex qua fieri potest illatio: 1, a posito subiecto propositionis ad ponendum eius praedicatum, A est B. 2, Aperto

sito praedicato ad ponendum subiectum: B est A. 3, A negato subiecto ad negandum praedicatum: non A non est B. 4, A negato praedicato ad negandum subiectum: non B non est A. 5, A positio subiecto ad negandum praedicatum: A non est B. 6, A negato praedicato ad ponendum subiectum: non B est A. 7, A negato subiecto ad ponendum praedicatum: non A est B. 8, A positio praedicato ad negandum subiectum: B non est A. Probe tamen notandum est, subiectum non minus, ac praedicatum, vniuersaliter tam, quam particulariter, poni aut negari posse. Dispiciendum nobis nunc erit, quinam, ex hisce argumentandi modis, pro varia propositionum simplicium conditione, locum inueniant.

#### I. DE CONSEQUENTIIS IMMEDIATIS EX PROPOSITIONE UNIVERSALI VERA.

##### §. 24.

Propositio vniuersalis vera, est vniuersaliter vera. (§. 10.) Haec itaque est propositionis vniuersalis natura, ut praedicatum omnibus inferioribus subiecti competat, (§. 2.) et, quemadmodum est idea latior subiecto, aliis competit, quae non sunt subiecti inferiora. (§. 20.) Licet enim saepissime propositionis vniuersalis praedicatum, soli subiecto, nec ulli praeterea, competit: hoc tamen, non a natura propositionis vniuersalis verae; sed a specifica relatione idearum, quae sunt subiectum et praedicatum determinatae cuiusdam propositionis, dependet. (§. 19.) Quod quidem non curamus, ubi de consequentiis formalibus sermo est.

##### §. 25.

Si propositio est vniuersalis vera: i, a ponendo subiecto particulariter sumto, ad ponendum praedicatum, valet consequentia. Praedicatum competit subiecto vniuersaliter sumto. (§. 24.) Quicquid valet de genere vniuersaliter sumto, valet de quolibet generis inferiori. Quodsi igitur cum quibusdam subiecti inferioribus, seu, cum subiecto particulariter sumto, praedicatum illius propositionis vniuersalis combinamus: tribuimus subiecto particulariter sumto praedicatum, quod huic competit. Noua itaque propositio particularis, quam inde eliminimus, est vera. (§. 2.)

SCH. *Omnis homo est animal.* E. *Quidam homo est animal.*

B 3

##### §. 26.



## §. 26.

2. A ponendo praedicato particulariter sumto, ad ponendum subiectum V. C. Cum praedicatum est idea latior subiecto: aliis competit, quae non sunt subiecti inferiora. (§. 24.) Hinc falsa foret argumentatio; vbi cunque est praedicatum ibi est subiectum. Quoniam autem praedicatum propositionis nostrae, quae est vera, subiecto competit; (§. 2.) a praedicato, non vniuersaliter, sed particulariter sumto ad subiectum valet consequentia.

SCH. O. homo est animal. E. Q. animal est homo. Ne opponas propositiones: O. homo est animal rationale, O. figura quadrilatera habet quatuor angulos, et similes, ex quibus rectissime deducuntur, consequentiae: O. An. rationale est homo. O. figura quatuor habens angulos est quadrilatera. Verae enim sunt nouae propositiones, non quia animal rationale et quatuor habere angulos, sunt praedicata illarum propositionum; sed quoniam illud est essentia hominis, et hoc attributum proprium figurae quadrilaterae. De hisce ratiociniis Sectione III. agendum nobis erit.

## §. 27.

3. A negato praedicato vniuersaliter sumto, ad negandum subiectum V. C. Cum praedicatum competit omnibus subiecti inferioribus: nullum est inferius subiecti, cui oppositum praedicati competit. Quodsi ergo praedicatum negatur: subiectum poni nequit. Negato itaque praedicato subiectum debet negari.

SCH. O. b. est animal. E. Quicunque non est animal non est homo.

## §. 28.

4. A negato subiecto particulariter sumto, ad positionem praedicati valet consequentia. Praedicatum, quod est idea latior subiecto, aliis, quae non sunt subiectum propositionis, competit. Quod autem omnibus competit, quae sub idea subiecti haud comprehenduntur, exinde inferri nequit. E. a negato subiecto, non vniuersaliter, sed particulariter sumto, ad ponendum praedicatum v. c.

SCH. O. homo est animal. E. Quoddam quod non homo, est animal. Numquam autem valet hic modus argumentandi, nisi praedicatum propositionis sit idea latior subiecto, quemadmodum ex demonstratione patet et Sectio III. vberius docebit.

## §. 29.

## §. 29.

*5. A posito praedicato particulariter sumto, ad negationem subiecti valet consequentia.* Quoniam praedicatum est idea latior subiecto, illo posito non statim ponitur subiectum. Quinimo, abesse potest subiectum, licet praedicatum adsit. Cum autem praedicatum subiecto competit: non semper abest subiectum si praedicatum ponitur. E. a posito praedicato, non vniuersaliter sed particulariter sumto, ad negationem subiecti legitime concluditur.

SCH. O. b. est an. E. *Quoddam animal non est homo.* Coeterum hic locum habent quae in scholio praecedente dicta sunt.

## §. 30

*6. A negato subiecto particulariter sumto, ad negandum praedicatum valet consequentia.* Iusta foret illatio: a negato subiecto vniuersaliter sumto, ad negandum praedicatum, si soli subiecto praedicatum competeteret; quod tamen ex natura propositionis vniuersalis verae cognosci nequit. (§. 24.) Sed si a negato subiecto particulariter sumto, ad negationem praedicati concluditur: vera exsurgit propositio. Namque per §. 27, vera est propositio vniuersalis, cuius subiectum est idea praedicato datae propositionis opposita, et cuius praedicatum est negatum subiectum. Ponas quoefo, hoc praedicatum particulariter sumtum loco subiecti, et hoc subiectum loco praedicati, atque veram habebis propositionem, vti ex §. 26. patet. Proinde, ex propositione nostra vniuersali, vera infertur propositio, si cum negato eius subiecto, particulariter sumto, negatum praedicatum combinatur, seu, si a negato eius subiecto, particulariter sumto, ad negationem praedicati, fit argumentatio.

SCH. e. g. O. *homo est animal.* E. *Quoddam quod non homo, non est animal.*

## §. 31.

Quodsi a posito subiecto, siue vniuersaliter, siue particulariter sumto, ad negandum praedicatum, concludis: falsa exsurgit propositio. Quia enim praedicatum omnibus subiecti inferioribus competit: oppositum eius, salua veritate, nec de subiecto vniuersaliter sumto, nec particulariter sumto potest praedicari. (§. 2.)

## §. 32

## §. 32.

Modus argumentandi : a negato praedicato, siue uniuersaliter siue particulariter sumto, ad ponendum subiectum, dat propositionem falsam. Nam quia oppositum praedicati nulli ex subiecti inferioribus competit: (§. 24.) propositio, quae oppositum praedicati cum subiecto combinat, semper est falsa. (§. 2.)

## II. DE CONSEQUENTIIS IMMEDIATIS EX PROPOSITIONE PARTICULARI VERA.

## §. 33.

Cum propositio particularis praedicatum cum quibusdam subiecti inferioribus combinat: vera est, quoties propositionis praedicatum quibusdam subiecti inferioribus competit. (§. 2.) Vniuersaliter vera est propositio particularis, si praedicatum, cum quibusdam subiecti inferioribus combinatum, huic subiecto vniuersaliter sumto competit. (§. 11.) Particulariter autem vera est, quoties praedicatum, quod quibusdam subiecti inferioribus tribuitur, quibusdam solummodo inferioribus competit. (§. cit.)

## §. 34.

PRIMO loco agendum erit, de ratiociniis consequentiae immediatae ex propositione particulari, particulariter vera. Natura huius propositionis nihil inuoluit, nisi quod praedicatum solummodo quibusdam subiecti inferioribus, singulatim enumeratis competit, et, tanquam idea latior subiecto, aliis competit, quae non sunt subiecti inferiora.

## §. 35.

Ex propositione particulari, particulariter vera, legitimam ducimus consequentiam 1, a posito praedicato particulariter sumto ad ponendum subiectum. vide Dem. §. 26. coll. §. 34.

SCHOL. Q. Triangulum est figura aequilatera. E. Q. figura aequilatera est Triangulum.

## §. 36.

2, A posito subiecto particulariter sumto, ad negandum praedicatum v. c. Praedicatum enim, quod quibusdam solummodo inferioribus subiecti competit (§. 34.) reliquis haud competit. E. propositio, oppositum praedicati subiecto particulariter sumto tribuens, vera est.

SCHOL.

SCHOL. Q. Triangulum est figura aequilatera. E. quoddam Triangulum non est figura aequilatera.

§. 37.

3. A negato praedicato particulariter sumto, ad ponendum subiectum v. c. Quoniam praedicatum quibusdam inferioribus subiecti non competit: (§. 36.) a negato praedicato ad positionem subiecti reftissime concluditur. Ex natura autem propositionis particulariter verae, demonstrari nequit, oppositum praedicati nulli, nisi quibusdam subiecti inferioribus, competere. Hinc a negato praedicato, non vniuersaliter sed particulariter sumto, ad ponendum subiectum valet consequentia.

SCHOL. Q. Triangulum est fig. aequilatera. E. Q. quod non figura aequilatera, est Triangulum.

§. 38.

4. A negato subiecto particulariter sumto ad ponendum praedicatum v. c. vid. Dem. §. 28.

SCHOL. Q. Triangulum est figura aequilatera. E. Q. non Triangulum est figura aequilatera.

§. 39.

5. A posito praedicato particulariter sumto, ad negationem subiecti valet consequentia. vid. Dem. §. 29.

SCHOL. Q. Triang. est fig. aequilatera. E. Q. figura aequilatera non est Triangulum.

§. 40.

6. A negato subiecto particulariter sumto, ad negandum praedicatum v. c. Propositio data est particulariter vera. Ergo praedicatum quibusdam subiecti inferioribus non competit. (§. 34.) Quare idea, praedicato opposita, quibusdam subiecti inferioribus tribui debet, et legitime formatur propositio, cuius subiectum est subiectum propositionis nostrae particulariter sumtum, praedicatum autem oppositum praedicati. (§. 36.) Quoniam omne praedicatum est idea latior subiecto: (§. 20.) etiam idea praedicato propositionis particulariter verae opposita (quae quidem in hac propositione loco praedicati ponitur §. 36.) pluribus quam solis subiecti inferioribus competit. Ergo formari potest propositio, quae oppositum praedicati cum opposito subiecti combinat, seu, a negato subiecto ad negandum praedictum concludere licet. Verum enim uero, a negato subiecto vniuersaliter sumto

C



sumto ad negandum praedicatum concludi nequit, quia precario assumendum foret, praedicatum propositionis nulli, nisi quibusdam subiecti inferioribus, competere. Ergo a negato subiecto particulariter sumto, ad negationem praedicati, legitima est consequentia.

SCHOL. Q. Triang. est fig. aequil. E. Quoddam quod non Triangulum non est fig. aequil.

#### §. 41.

7. A negato praedicato particulariter sumto, ad negandum subiectum v. conf. Propositio enim nostra vera est, licet tantum sit particulariter vera. Ideo praedicatum competit subiecto, et vbi non est praedicatum, ibi quoque non est subiectum, cui hoc praedicatum competit. (§. 2.) E. a negato praedicato ad negandum subiectum concludere licet. Sed illatio, a negato praedicato vniuersaliter sumto, ad negandum subiectum, supponeret, omnibus subiecti inferioribus competere praedicatum, (§. 27.) quod tamen notio propositionis particulariter verae contradicit. (§. 34. 36.) E. a negato praedicato particulariter sumto, ad negationem subiecti rite concludimus.

SCHOL. Q. Triang. est figura aequilatera. E. quoddam quod non fig. aequilatera non est Triangulum.

#### §. 42.

Propositio quae exsurgit, quando a posito subiecto vniuersaliter sumto, ad ponendum praedicatum concludimus, falsa est. Praedicatum enim competit quibusdam tantum ex subiecti inferioribus. (§. 34.) Quare, si hoc praedicatum, cum subiecto vniuersaliter sumto combinatur: propositio inde orta, falsa est.

#### §. 43.

SECUNDO, de ratiociniis consequentiae immediatae, ex propositione particulari, vniuersaliter vera. (§. 34.) Natura huius propositionis ita est comparata, ut praedicatum, quod quibusdam inferioribus subiecti tribuitur, non solum quibusdam, sed omnibus inferioribus competit; et, tanquam idea latior subiecto, aliis, praeter subiectum, competit. (§. 33.) Inde patet, quomodo, ex hac propositione inferantur consequentiae immediatae.

#### §. 44.

Legitima nimirum est consequentia, si i, a posito subiecto vniuersaliter sumto, ad positionem praedicati concludimus. Ita enim praedicatum,

catum, quod omnibus subiecti inferioribus competit, (§. 43.) cum subiecto vniuersaliter sumto combinatur. Hinc quae oritur, proposicio est vera. (§. 2.) Coeterum cuius, ad demonstrationes §§orum 26-29. attendenti facillimo negotio occurret, locum habere modum argumentandi, quo ex propositione vniuersali vera, deduximus immediatas consequentias. Verae sunt propositiones, si argumentamur: 2, a posito praedicato particulariter sumto, ad ponendum subiectum, 3, a negato praedicato vniuersaliter sumto, ad negationem subiecti. 4, a negato subiecto particulariter sumto, ad positionem praedicati. 5, a posito praedicato particulariter sumto, ad negationem subiecti.

SCH. Exempli loco sit propositio particularis: *Quoddam Quadratum est figura.* Inde sequitur, 1, E. O. *Quadratum est figura.* 2, Q. *figura est Quadratum.* 3, *Quocunque non est figura non est Quadratum.* 4, Q. *non Quadratum est figura.* 5, Q. *figura non est Quadratum.*

§. 45.

Ex demonstrationibus §§orum 30-32. apparet, argumentationem; a negato subiecto ad negandum praedicatum, fundamento esse destinatam, et ex modo argumentandi; a posito subiecto ad negandum praedicatum, aut a negato praedicato ad ponendum subiectum, oriri propositiones falsas.

### III. DE CONSEQUENTIIS IMMEDIATIS EX PROPOSITIONE VNIIVERSALI FALSA.

§. 46.

Propositio vniuersalis tribuit praedicatum omnibus subiecti inferioribus, et falsa est, si praedicatum omnibus subiecti inferioribus haud competit. Quapropter falsa est propositio vniuersalis, tam, si quibuscum tantum ex subiecti inferioribus; quam, si nulli, competit praedicatum. Inde orta est distinctio (§. 12.) propositionis vniuersalis falsac, in vniuersaliter falsam et particulariter falsam.

§. 47.

PRIMO loco consideremus *propositiones vniuersales vniuersaliter falsas.* Harum praedicatum, quod subiecto vniuersaliter sumto tribuitur, nulli ex subiecti inferioribus competit. (§. 2.) Legitima est consequentia si ex huius generis propositione concluditur, 1, a posito subiecto ad negationem praedicati. Praedicatum enim subiecto omnino non competit. Quare omnibus subiecti inferioribus competit oppositum

C 2

tum



tum praedicati, et propositio, praedicatum negatiuum, seu oppositum praedicati cum subiecto combinans, vera est.

SCH. Ex. gr. sint propositiones *Nullum Triangulum est figura*. s. O. *Triangulum non est figura*, et O. *Quadratum est Pentagonum*. E. O. *Triangulum est figura*, et N. *Quadratum est Pentagonum*.

### §. 48.

2. A posito praedicato ad negationem subiecti v. c. Nam praedicatum subiecto omnino non competit. Vbi itaque praedicatum, ibi non est subiectum. Ergo.

SCH. N. *Triang. est fig.* E. O. *non figura non est Triang.* O. *Quadrat. est Pentag.* E. N. *Pentag. est Quadratum.*

### §. 49.

3. A negato praedicato particulariter sumto, ad positionem subiecti v. c. Quodsi praedicatum propositionis vniuersaliter falsae tantum subiecto propositionis repugnaret: (quemadmodum in propositione, O. *simplex est compositum*) soli subiecto oppositum praedicati competeteret, hinc, vbi praedicatum negatur subiectum foret ponendum. Quod tamen ex natura propositionis vniuersaliter falsae colligi nequit. (§. 47.) Ast vero, cum propositionis vniuersaliter falsae praedicatum non competit subiecto, et vera est propositio vniuersalis, in qua cum eodem subiecto oppositum praedicati combinatur (§. cir.) de hoc opposito praedicati, (tanquam idea latiori subiecto §. 20.) particulariter sumto, subiectum affirmare licet. (§. 25.) Quodsi itaque ex propositione vniuersaliter falsa sit argumentatio, a negato praedicato particulariter sumto, ad ponendum subiectum: vera est quae oritur, propositio.

SCH. N. *Triang. est figura*. E. *Quaedam figura est Triangulum*. O. *Quadratum est Pentagonum*. E. *Quoddam non Pentagonum est Quadratum*.

### §. 50.

4. A negato subiecto particulariter sumto, ad ponendum praedicatum v. c. Id quod simili ratione demonstrari potest. Si praedicatum propositionis vniuersaliter falsae, soli subiecto propositionis non competeteret: ibi foret praedicatum, vbi non est subiectum. Hoc autem, cum ex natura propositionis vniuersaliter falsae cognosci nequit: de negato subiecto vniuersaliter sumto non affirmari potest praedicatum. Modum autem argumentandi, a negato subiecto particulariter sumto, ad ponendum praedicatum legitimus esse, facili cognoscimus negotio. Pers. 48. vera

vera est propositio vniuersalis, quae oppositum subiecti cum praedicato combinat, cuius itaque subiectum est praedicatum propositionis nostrae, et cuius praedicatum est negatio subiecti nostrae propositionis. Si propositio vniuersalis est vera: valet argumentatio a posito praedicato particulariter sumto, ad ponendum subiectum. (§. 26.) Hinc, a negato subiecto propositionis nostrae, ad ponendum eius praedicatum valet consequentia.

SCH. N. Triang. est fig. E. Q. non Triang. non est figura. O. Quadrat. est Pentagon. E. Q. non Quadrat. est Pentagonum.

§. 51.

5, A negato subiecto, non vniuersaliter, sed particulariter sumto, ad negationem praedicati v. c. Prior modus argumentandi repugnat so praecedenti. Cum enim vera est propositio, quae cum negato subiecto propositionis vniuersaliter falsae, particulariter sumto, eius praedicatum combinat: falsa est propositio, quae de eodem hoc praedicarum vniuersaliter negat. Alter autem modus argumentandi rite se habet. Vera enim est propositio vniuersalis, cuius subiectum est praedicatum propositionis vniuersaliter falsae, et praedicatum negatio subiecti huius propositionis. (§. 48.) Ex omni propositione vniuersali vera rite argumentamur, a posito praedicato particulariter sumto ad negationem subiecti. (§. 29.) Quodsi itaque, a negato subiecto propositionis vniuersaliter falsae, particulariter sumto, ad negationem praedicati concludimus: vera est, quae oritur, propositio,

SCHOL. N. Triang. est fig. E. Q. non Triang. est figura. O. Quadratum est Pentagonum. E. Q. non Quadratum non est Pentagonum.

§. 52.

6, A negato praedicato, non vniuersaliter, sed particulariter sumto, ad negationem subiecti v. c. Propositio, quae subiectum propositionis vniuersaliter fallae, de negato praedicato particulariter sumto affirmat, vera est. (§. 49.) Hinc de negato praedicato idem subiectum vniuersaliter negari nequit. q.e.p. Alter modus argumentandi hac ratione probatur. Propositio, ex qua ducimus consequentiam, est vniuersaliter falsa (per hyp.) et praedicatum subiecto omnino non competit. E. vera est propositio, quae praedicatum de subiecto vniuersaliter negat (§. 47.) cuius itaque subiectum est subiectum propositionis falsae, et praedicatum, oppositum praedicati huius propositionis.

C 3

Ex pro.



Ex propositione autem vniuersali vera ; a posito praedicato particulariter sumto, ad negationem subiecti, legitime concluditur. (§. 29.) E. ab opposito praedicati (s. negato praedicato) propositionis vniuersaliter falsae, particulariter sumto<sup>1</sup>, ad negationem subiecti valet argumentatio.

SCHOL. N. Tr. est fig. E. Q. figura, non est Triangulum. O. Quad. est Pent. E. Q. non Pentagonum non est Quadratum.

§. 53.

*Quodsi a subiecto vel vniuersaliter vel particulariter sumto, ad ponendum praedicatum, aut a praedicato vel vniuersaliter, vel particulariter sumto, ad ponendum subiectum coneludis : falsae oriuntur propositiones.* Praedicatum enim, quod nulli ex inferioribus subiecti competit (§. 47.) nec de omnibus ; nec de quibusdam affirmari debet. Et quoniam idea subiecti neganda est de praedicato : (§. 48.) nec de praedicato vniuersaliter ; nec particulariter sumto , salua veritate , potest affirmari.

§. 54.

SECUNDO , quod *propositiones vniuersales , particulariter falsas* attinet, (§. 47.) propterea inter falsas referenda sunt, quia sunt vniuersales. Combinant praedicatum cum subiecto, huic quidem competens , tantum non omnibus eius inferioribus. (§. 12.) Haec est natura huius generis propositionum. 1. Praedicatum, quod omnibus subiecti inferioribus tribuitur , quibusdam non competit, aliis competit. 2. Praedicatum cum subiecto combinatum , licet quibusdam inferioribus competitat, iis tamen non solis competit, sed tanquam idea latior, de aliis, a subiecto propositionis diuersis, potest praedicari. (§. 20)

SCHOL. Regulis itaque §phi sequentis, jure opponi nequeunt consequentiae falsae , ex eiusmodi propositionibus deductae , quarum praedicatum non est idea latior subiecto particulariter sumto. Potius ad consequentias materiales sunt referenda , de quibus alio tempore agendum nobis erit.

§. 55.

Haud difficile est, inuenire regulas , secundum quas immediae consequentiae ex hisce propositionibus possunt deduci. 1. Argumentatio a posito subiecto propositionis particulariter sumto , ad ponendum praedicatum , dat propositionem veram. Praedicatum enim competit quibusdam subiecti inferioribus. (§. praec.) Hinc vera est propositione , quae praedicatum cum subiecto particulariter sumto combinat.

Coete.

Coeterum hic valent regulae, §§. 35. 41. demonstratae. Omnis enim propositio particulariter falsa, est particulariter vera. (§. 9.) E. et propositiones vniuersales particulariter falsae, sunt particulariter verae. (§. 12.) Nihil igitur impedit, quo minus ex nostra propositione, easdem, quas ex propositione particulariter vera, deducamus consequentias. Theorematum demonstrationes, facillimo negotio ita mutari possunt, quemadmodum natura propositionum vniuersalium, particulariter falsarum, requirit. Legitimae sunt consequentiae: 2. a posito praedicato particulariter sumto, ad ponendum subiectum. Dem. §. 26. 3. a posito subiecto part. sumto, ad negationem praedicati. Dem. §. 36. 4. a negato praedicato part. sumto, ad positionem subiecti. Dem. §. 37. 5. a negato subiecto particulariter sumto, ad ponendum praedicatum. Dem. §. 28. 6. a posito praedicato part. sumto, ad negandum subiectum. Dem. §. 29. 7. a negato subiecto part. sumto, ad negandum praedicatum. Dem. §. 41. 8. a negato praedicato particulariter sumto, ad negandum subiectum, Dem. §. 42. collata semper spho praecedente.

SCHOL. Exempli loco sint propositiones falsae. O Triangulum est figura rectilinea et N. homo est pius. Inde Consequentiae,

- |   |                          |
|---|--------------------------|
| 1. Q. Triangulum est figura rectilinea.   | Q. homo non est pius.    |
| 2. Q. figura rectilinea est Triangulum.   | Q. non pius est homo.    |
| 3. Q. Triangulum non est figura rectil.   | Q. homo est pius.        |
| 4. Q. non figura rectil. est Triangulum.  | Q. pius est homo.        |
| 5. Q. non Triangulum est figura rectil.   | Q. non homo non est pius |
| 6. Q. figura rectil. non est Triangulum.  | Q. non pius non est homo |
| 7. Q. non Triangulum non est fig. rectil. | Q. non homo est pius.    |
| 8. Q. non fig. rectilinea non est Triang. | Q. pius non est homo.    |

#### IV. DE CONSEQUENTIIS IMMEDIATIS EX PROPOSITIONE PARTICVLARI FALSA.

§. 56.

Tandem de propositionibus particularibus falsis. Cum subiecto particulariter sumto, praedicatum, quod huic non competit, combinant. (§. 13.) Vniuersaliter falsae sunt; quando praedicatum subiecto omnino non competit. Particulariter autem falsae; quando praedicatum quibusdam solummodo subiecti inferioribus repugnat. (§. cit.) De consequentiis itaque immediatis ex hisce propositionibus, nihil noui addendum erit. Si propositiones particulares falsae, sunt vniuersaliter falsae: omnes ex iis deduci possunt consequentiae, §§. 47 - 53, demon-



demonstratae. Sin autem sunt particulariter falsae; simul sunt particulariter verae. (§. 13. Cor.) Consequentiae itaque locum habent §§ 35—42. indicatae. Quorum theorematum demonstrationes, qui-uis facillimo negotio ita mutabit, ut ad propositiones particulariter falsas possint applicari.

## CAPVT. II.

### DE RATIOCINIIS CONSEQUENTIAE IMMEDIATAE EX PROPOSITIONE SIMPLICI, SPECIATIM.

§. 57.

**Q**uae hucusque exposuimus, principia generalia, sunt fundamen-tum doctrinae de subalternatione, oppositione et conuersione propositionum. Namque in subalternatione et oppositione tam, quam in conuersione propositionum, altera propositio est consequentia im-mediata ex altera. Nimur *subalternarum* propositionum altera ori-tur, si a positione subiecti ad positionem praedicati alterius propo-sitionis fit argumentatio. Si vero a posito subiecto alicuius propositionis, ad negandum eius praedicatum concluditur: propositio illi oposita oritur. E contrario doctrina de *Conuersione*, in regulis consequen-tiarum immediatarum, secundum quas a praedicato propositionis cu-iusdam ad eius subiectum fit argumentatio, fundamentum haberet.

#### I. DE SUBALTERNATIONE PROPOSITIONVM.

§. 58.

*Subalternatio propositionum* est relatio, quae inter duas proposi-tiones intercedit, quibus est idem subiectum et praedicatum; hinc eadem qualitas, sed diuersa quantitas. Ipsae propositiones eorundem extre-morum, eiusdem qualitatis et diuersae quantitatis, vocantur *subalternae*. Et quidem vniuersalis propositio dicitur *subalternans*, particularis vero *subalternata*. Omnis doctrina de subalternatione duabus comprehen-ditur regulis.

§. 59.

I. *Si propositio subalternans est vera: subalternata quoque vera est.* Ex eo autem, quod subalternata sit vera, non statim inferri potest subalternantem esse veram. A posito subiecto particulariter lumento, pro-positio.

positionis vniuersalis verae, ad ponendum eius prædicatum, legitime concluditur. (§. 25.) Quippe prædicatum, quod omnibus subiecti inferioribus competit, etiam de quibusdam cum veritate prædicari potest. Propositio subalternans est vniuersalis, et subalternata particularis; quae cum illa idem subiectum et prædicatum habet. (§. praec.) Subalternatam itaque formantes propositionem, cum subiecto subalternantis particulariter sumto, idem combinatus prædicatum. E. propositio subalternata est vera. q. e. p. Si propositio subalternata est vera: propositio particularis vera est. Hinc propositio subalternata vel vniuersaliter, vel particulariter vera est. (§. 11.) Priori in casu legitima foret argumentatio a posito subiecto vniuersaliter sumto ad positionem prædicati. (§. 44.) E. subalternans foret vera. (§. praec.) Posteriori autem in casu argumentatione a posito subiecto vniuersaliter sumto ad ponendum prædicatum, propositio falsa exsurgeret. (§. 42.) E. subalternans foret falsa. Inde patet, a veritate subalternatae ad veritatem subalternantis non semper valere consequentiam. q. e. a.

SCHOL. Legitime concludis: O. Quadratum est figura. E. Q. Quadr. est figura, - et Quadrat. est figura. E. O. quadr. est figura. Non autem Q. figura est rectilinea. E. O. figura est rectilinea.

### §. 60.

2. Si propositio subalternata est falsa: falsa quoque est subalternans. Ex eo autem quod subalternans sit falsa, falsitas subalternatae non statim inferri potest. Propositio subalternata falsa, est particularis. Hinc vel vniuersaliter, vel particulariter falsa est. (§. 13.) In utroque casu argumentatio a posito subiecto vniuersaliter sumto, ad ponendum prædicatum, propositionem falsam parit. (§§. 56. 53. 41.) E. subalternans propositio semper est falsa. q. e. p. Sit subalternans propositio falsa, et propositio falsa est vniuersalis. Quare falsa erit vel vniuersaliter vel quatenus est vniuersalis. (§. 12.) Si prius: argumentatio a posito subiecto particulariter sumto, ad ponendum prædicatum dat propositionem falsam. (§. 53.) Si posterius: propositionem veram. (§. 55.) E. si subalternans falsa est: subalternata vel falsa erit, vel vera q. e. a.

SCHOL. Q. Triang. est Quadratum fals. est. E. O. Triang. est Quad falsa. Q. Triangulum (aequilaterum) est obtusang. falsa est. E. O. Triang. est obtusang. falsa est. Sit subalternans O. Triang. est Quadrat. falsa.

D



falsa. E. Q. Triang. est Quad, falsa est. Porro : O. Triang. est rectil.  
falsa. E. Q. Triang. est rectil. vera est.

## II. DE OPPOSITIONE PROPOSITIONVM.

### §. 61.

*Opposito*, est affectio propositionum, quarum altera affirmat quod altera negat. Ipsiæ propositiones, quarum altera idem praedicatum de subiecto affirmat, quod altera de eodem negat, seu, cuius oppositum altera cum eodem subiecto combinat, dicuntur *oppositæ*.

SCHOL. Distinguunt Logici propositiones materialiter oppositas, a formaliter oppositis. Materialiter oppositas vocant, quarum partes materiales, praedicata nimirum, sibi sunt opposita, e. g. mensa est quadrata, mensa est rotunda. Formaliter oppositas dicunt, quarum partes formales, copulae scilicet, sibi sunt oppositæ, e. gr. mensa est quadrata, mensa non est quadrata. Ratio denominatio- nis nobis quidem non arridet, cum nititur hypothesi, ne dicam prae- iudicio, qualitatem propositionis dependere a copula. Distinctione tamen Logicorum vtamur, ob aliud quoddam diuisionis fundamen- tum. Praedicata nimirum propositionum oppositarum, sunt opposita. Hinc vel contradictorie opposita, vel non contradictorie opposita. Si prius : propositiones sunt *formaliter oppositæ*. Si posterius : *mate- rialiter oppositæ*. De propositionibus materialiter oppositis nobis hoc loco sermo non erit, cum ex theoria de consequentiis immediatis de iis judicari nequit. Interim, quae de oppositione formalis di- cenda sunt, etiam in doctrina de oppositione materiali lucem quan- dam adferent.

### §. 62.

Propositiones formaliter oppositæ, quarum altera est affirmans et altera negans, vel eiusdem sunt quantitatis, vel diuersæ quantita- tis. Propositiones quae eandem habent quantitatem, vel ambae sunt vniuersales; et *oppositio* vocatur *contraria*, vel ambae sunt particula- res; et *oppositio* dicitur *subcontraria*. Oppositio autem propositionum diuersæ quantitatis, quarum altera est vniuersalis, altera particularis, dicitur *contradicторia*.

SCHOL. Duae propositiones singulares, eiusdem subiecti et praedi- cati, quarum altera affirmans, altera negans, ad *contradicторias* referuntur, et vocantur *minus principales*.

## I. DE OPPOSITIONE CONTRARIA.

### §. 63.

Sumas, propositionem vniuersalem esse veram. Propositio ei contra-

contrarie opposita est vniuersalis, quae oppositum praedicatum cum subiecto combinat. (§. praec.) Si illius praedicatum est affirmatum, haec negatiuum habet praedicatum. Et si illius praedicatum est negatiuum; propositionis contrarie oppositae praedicatum est affirmans. Propositio itaque contrarie opposita oritur, dum ex propositione vniuersali vera fit argumentatio, a posito subiecto vniuersaliter sumto, ad negandum praedicatum. Hic modus argumentandi, cum dat propositionem falsam: (§. 31.) propositio, vniuersali verae contrarie opposita, est falsa. E. *Si altera contrariarum est vera, altera est falsa, nec ambae simul verae esse possunt.*

## §. 64.

Sumas, propositionem vniuersalem esse *falsam*. Falsa est, vel quia nulli ex inferioribus subiecti praedicatum competit, vel quia non omnibus competit. (§. 12.) Priori in casu, propositio ei contrarie opposita, est argumentatio ex propositione vniuersaliter falsa, a propositione subiecti vniuersaliter sumti ad negationem praedicati. (§. 62.) Quae quidem consequentia semper est vera. (§. 47.) E. *propositio contrarie opposita est vera.* Propositio autem vniuersalis, eam ob causam falla, quia praedicatum non omnibus subiecti inferioribus competit, est particulariter vera. (§. 12.) Hinc propositio contrarie opposita oritur, dum ex propositione particulariter vera, a posito subiecto vniuersaliter sumto, ad negationem praedicati argumentamur. E. *est propositio falsa.* (§. 55.36.) E. *propositiones contrarie oppositae simul esse possunt falsae.*

SCHOL. Si praedicatum subiecto sub certa conditione competit, et tollis conditionem: tam vniuersaliter affirmans, quam negans propositio, est falsa.

## 2. DE OPPOSITIONE SVB CONTRARIA.

## §. 65.

Sit propositio particularis *vera*. Propositio subcontrarie opposita etiam est particularis, quae oppositum praedicatum cum subiecto combinat. (§. 62.) Si illa est affirmans: haec negans erit; et si illa negans: haec erit affirmans. Hinc propositio subcontrarie opposita oritur, dum argumentamur, a posito subiecto propositionis particularis verae, ad negandum eius praedicatum. Propositio particularis vera, ex qua consequentia immediata deducitur, vel est vniuersaliter vera,

D 2

vel



vel particulariter vera. (§. 11.) Si prius: hic modus argumentandi dat propositionem falsam. (§. 45.) E. si altera subcontrariarum est vera, (vniuersaliter) altera est falsa. Si posterius: hoc modo argumentandi propositionem veram inuenis. (§. 36.) E. si altera subcontrariarum est vera, (particulariter) altera quoque est vera. E. duae propositiones subcontrariae, utraeque verae esse possunt.

**SCHOL.** Non de iisdem, sed diuersis inferioribus esse sermonem, si duae subcontrariae propositiones simul verae sunt, patet ex §pho 36. Q. homo (ABC) est doctus. Q. homo (DEF) non est doctus.

### §. 66.

Sit propositio particularis *falsa*. E. falsa est vel vniuersaliter, vt praedicatum nulli ex inferioribus subiecti, hinc nec quibusdam, cum quibus in propositione combinatur, competat; vel falsa est particulariter, vt iis inferioribus, cum quibus combinatur, non competit praedicatum propositionis, licet aliis competit. (§. 13.) Priori in casu, propositio subcontrarie opposita est consequentia immediata ex propositione vniuersaliter falsa, dum a posito eius subiecto particulariter sumto, ad negationem praedicati concludis. Posteriori in casu idem ad est argumentandi modus, sed ex propositione particulariter falsa ducitur consequentia. (§. 62.) Vtique in casu propositio vera exsurgit. (§. 56. 47. 55.) E. si altera propositionum subcontrariarum est falsa; altera erit vera; nec utraeque simul falsae esse possunt.

### 3. DE OPPOSITIONE CONTRADICTORIA.

#### §. 67.

Oppositio contradictoria principalis est oppositio propositionum, quarum altera est vniuersalis, altera particularis. (§. 62.) Assumas quaeo, propositionem vniuersalem esse *veram*, seu, praedicatum, vel affirmativum vel negativum, subiecto vniuersaliter sumto competere. Propositio huic contradictorie opposita est particularis, et oppositum praedicatum cum subiecto combinat. (§. 62.) Ergo est consequentia immediata ex propositione vniuersaliter vera, a cuius subiecto particulariter sumto, ad negationem praedicati concluditur. Haec autem consequentia falsa est. (§. 31.) E. si propositio vniuersalis vera est; contradictorie opposita particularis est falsa.

#### §. 68.

## §. 68.

Asumas porro propositionem *particulararem esse veram*. Haec propositio vera erit, vel quia praedicatum subiecto vniuersaliter sumto, hinc et particulariter sumto, competit; vel quia praedicatum tantum quibusdam subiecti inferioribus competit, cum quibus in propositione combinatur. (§. 11.) Propositio vniuersalis, ei opposita, oppositum praedicatum cum subiecto combinat, et nascitur argumentatio, a positione subiecti propositionis vniuersaliter sumti, ad negationem praedicati. (§. 62.) Hic argumentandi modus dat propositionem falsam, tam si propositio, ex qua fit consequentia, vniuersaliter vera est; (§. 45.) quam si est particulariter vera. (§. 36.) Quare propositio vniuersalis, particulari verae opposita, semper est falsa, sive haec sit vniuersaliter, sive particulariter vera. E. si *propositio particularis vera est: contradictrorie opposita vniuersalis est falsa*.

**COROL.** Ex paragraphis praecedentibus patet veritas canonis: *se altera propositionum contradictorie oppositarum vera est: altera est falsa, nec utraeque simul verae esse possunt.*

## §. 69.

Quod si propositio vniuersalis falsa est: *contradictrorie opposita est vera*. Etenim, si propositio vniuersalis, *vniuersaliter falsa est: praedicatum, quod omnibus subiecti inferioribus tribuitur, nulli ex inferioribus competit*. (§. 2.) Vera itaque est propositio, quae oppositum praedicatum cum subiecto combinat, seu, quae oritur dum a subiecto huius propositionis, vel vniuersaliter, vel particulariter sumto, ad negationem praedicati argumentamur. (§. 47.) E. *propositio contradictorie opposita, quae est particularis, vera est*, quippe quae oritur, si a posito illius propositionis subiecto, particulariter sumto, ad negationem praedicati concludis. — In propositione autem vniuersali, *particulariter falsa, praedicatum, quod quidem subiecto non repugnat, attamen non omnibus eius inferioribus, sed quibusdam solummodo competit, cum subiecto combinatur*. Propositio itaque, oppositum praedicati cum quibusdam subiecti inferioribus combinans, seu, propositio inde orta, quod a positione subiecti particulariter sumti, ad negationem praedicati, facta sit argumentatio, vera est. (§. 55.) Et cum huiusmodi est *propositio contradictorie opposita*; illa quoque est vera.

D 3

§. 70.



## §. 70.

Sit autem illa ex propositionibus contradictorie oppositis, quae particularis est, falsa: a falsitate huius propositionis, ad veritatem contradictorie oppositae, non valebit consequentia. Equidem, si propositio particularis, vniuersaliter falsa est: contradictorie opposita vera sit, oportet. Ex propositione enim vniuersaliter falsa, argumentatio, a posito subiecto vniuersaliter sumto, ad negandum praedicatum, dat propositionem veram. (§§. 47. 56.) Et contradictorie huic opposita, est vniuersalis, cuius praedicatum oppositum est praedicato prioris propositionis. (§. 62.) — Ait vero, si propositio particularis, particulariter falsa est: contradictorie opposita quoque erit falsa. Quoniam enim haec propositio tantum particulariter falsa est: quibusdam solummodo ex subiecti inferioribus, (illis nimurum quae propositionis subiectum constituant) hoc praedicatum non competit. (§. 13) Hinc, respectu aliorum inferiorum, praedicatum competit ideae loco subiecti positae. Ex quibus patet, illam propositionem non esse veram, quae praedicatum de subiecto omnino negat. Breuius. Consequentia ex propositione particulariter falsa, a posito subiecto vniuersaliter sumto, ad negationem praedicati, falsa est. (§§. 56. 36.) E. falsa est propositio, particulari particulariter falsae propositioni, contradictorie opposita.

SCHOL. 1. e. gr. *Propositio Q. Triangulum est Rhombus* est vniuersaliter falsa. E. N. *Triangulum est Rhombus* vera est. Q. *Triangulum* (nimurum obtusangulum) est aequilaterum est particulariter falsa. E. N. *Triangulum est aequilaterum* quoque falsa est.

SCHOL. 2. Regula Logicorum: *Propositiones contradictorie oppositae utraeque falsae esse nequeant* nunquam valet; nisi propositio particularis sit vniuersaliter falsa.

SCHOL. 3. Propositiones contradictoriae minus principales (§. 61. Schol.) nec ambae verae nec falsae simul esse possunt. Per principium enim contradictionis, idem praedicatum, eidem subiecto competere, et simul non competere nequit.

## III. DE CONVERSIONE PROPOSITIONVM.

## §. 71.

Conuersio propositionis, est eiusmodi mutatio propositionis in aliam, ut subiectum prioris in locum praedicati posterioris propositionis

tionis; et praedicatum prioris in locum subiecti posterioris propositionis ponatur. Conuertentes itaque propositionem, consequentiam ex illa deducimus immediatam, argumentando ab eius praedicato ad subiectum. Propositio, quae conuersione in aliam mutatur, dicitur *conuersa* seu *conuertenda*. Posterior, seu noua propositio, *conuertens* audit,

## S. 72.

## Conuersio consideratur

I. ratione qualitatis extremitorum propositionis conuertae, quae

1) facta conuersione mutata est. *Conuersio per transpositionem mutatam*. Mutata est qualitas

A. utriusque extremiti propositionis, tam subiecti quam praedicati. *Conuersio per contrapositionem*.

B. alterutrius. *Conuersio per transpositionem mutatam in specie*.

a) qualitas subiecti mutatur. *Conu. per transpos. mut. ratione subiecti*.

b) vel qualitas praedicati. *Conu. per transpos. mut. ratione praedicati*.

2) non mutata est eorum qualitas. *Conu. per transpositionem nudam*.

II. ratione quantitatis et qualitatis propositionis conuertendae. Cuius propositionis quantitas et qualitas in conuersione

1) seruantur. *Conuersio simplex*. E. conuertitur

A. vniuersalis propositio in vniuersalem. *Conu. vniuersalis reciproca*

a) affirmans in affirmantem

b) negans in negantem

B. particularis in particularem. *Conu. particularis reciproca*

a) affirmans in affirmantem

b) negans in negantem

2) non seruantur. E. mutata est

A. alterutra. *Conuersio per accidens*

a) quantitas propositionis conuertae mutatur. *Conu. per accidentem ratione quantitatis*. Conuertitur

α) vni-



- a) vniuersalis propositio in particularem. *Conu. per accidens restrictiva.*  
 b) particularis in vniuersalem. *Conu. per accid. extensiva.*  
*Conuersio plus quam simplex*
- b) qualitas mutatur. *Conu. per accidentis ratione qualitatis.*  
*Conuertitur*
- a) propositio affirmans in negantem  
 β) negans in affirmantem.
- B. utraque, tam quantitas, quam qualitas propositionis conuentae mutatur. *Conuersio anonyma.* Sic eam appellat Ruidigerus de sensu veri & falsi Lib. II. cap. V. §. 4.

#### I. DE CONVERSIONE PROPOSITIONIS VNIIVERSALIS VERAЕ.

##### §. 73.

*Omnis propositio vniuersalis vera conuerti potest per accidentis ratione quantitatis.* Nam ex propositione vniuersali vera legitime concluditur, a posito praedicato particulariter sumto ad positiohem subiecti. (§. 26.) Propositionis itaque conuententis subiectum fit idea particulariter sumta, & propositio vniuersalis conuertitur in particularem. (§. 2.) E. propositio per accidentis ratione quantitatis conuertitur. (§. 72.)

SCHOL. 1. Ut regulae exemplis illustrentur, utilem duco earum applicationem, tam ad propositiones affirmantes, quam ad negantes. Et quoniam diuersam subiectorum qualitatem, non minus attendere debet, de conuersione iudicaturus, quam qualitatem praedicatorum: pro diuersitate qualitatis subiectorum, ad binas propositiones affirmantes, et binas negantes, regulas applicabimus. Monendum adhuc est, nos hoc loco, prouti scopus dissertationis nostrae requirit, data opera omisso conueriones, quae ad consequentias immediatas formales referri nequeunt. (§. 21.)

SCHOL. 2. Exempla conuerionis per accidentis ratione quantitatis:

1. O. homo est animal. E. Q. animal est homo, quae simul Conu. per transpos. nudam.
2. O non simplex est compositum. E. Q. compositum non est simplex. quae simul conu. per transpositionem nudam, vt et Anonyma.
3. N. Triangulum est Quadratum. E. Q. non Quadratum est Triangulum, quae eiusdem generis.
4. N. non finitum est creatura. E. Q. non creatura non est finitum, quae simul conu. per transposit. nudam.

##### §. 74.

## §. 74.

*Omnis propositio vniuersalis vera conuersti potest per contrapositio-*  
*nem.* Valet enim argumentatio, a negato praedicato huius proposi-  
*tionis, vniuersaliter sumto, ad negandum subiectum. (§. 27.) Hinc*  
*mutatur qualitas tam subiecti quam praedicati propositionis conuer-*  
*sae, seu, propositio vniuersalis conuertitur per contrapositionem.*  
*(§. 72.)*

SCHOL. e. g. 1. *O. homo est animal.* E. *Quidquid non est animal non*  
*est homo,* simul conuersio per accidens ratione qualitatis. 2. *O. non*  
*simplex est compositum.* E. *O. non compositum est simplex.* Conuers.  
*simplex. 3. N. Triang. est Quadratum.* E. *N. Quadratum est Trian-*  
*gulum.* Conu. simplex. 4. *N. non finitum est creatura.* E. *O. crea-*  
*tura est finita.* Conu. per accidens ratione qualitatis.

## §. 75.

*Omnis propositio vniuersalis vera conuersti potest per transpositio-*  
*nem mutatam ratione subiecti.* Vera enim est propositio, quae oritur,  
*si ex propositione vniuersali vera, a posito praedicato particulariter*  
*sumto, ad negationem subiecti concludis. (§. 29.) Qualitas itaque*  
*subiecti propositionis conuertendae mutatur, et ita per transpositio-*  
*nem mutatam ratione subiecti conuertitur propositio.*

SCHOL. e. g. 1. *O. homo est animal.* E. *Q. animal non est homo.* Con-  
*uertia anonyma. 3. N. Triangulum est Quadratum.* E. *Q. non Qua-*  
*dratum non est Triangulum.* Conu. per accidens restrictiva. Reli-  
*quae propositiones exempli loco positae, hac ratione conuerti ne-*  
*queunt, quia praedicata earum non sunt latiora subiectis, cf. Schol.*  
*§. 29.*

2. DE CONVERSIONE PROPOSITIONIS PARTI-  
 CULARIS VERAЕ.

A. DE CONVERSIONE PROPOSITIONIS PAR-  
 TICULARITER VERAЕ.

## §. 76.

*Omnis propositio particularis, particulariter vera conuersti potest*  
*per transpositionem nudam.* Legitima enim ex hac propositione duci-  
*tur consequentia, ratiocinando, a posito eius praedicato particulariter*  
 E sumto,



sumto, ad subiectum ponendum. (§. 35.) Praedicatum itaque propositionis conuertendae loco subiecti, et subiectum loco praedicati poni potest, absque mutatione qualitatis terminorum propositionis. I. propositio nude potest transponi. (§. 72.)

SCHOL. Fiat nuda transpositio propositionum I. Q. homo est pius. E. Q. pius est homo, quae simul est conuersio simplex. 2. Q. non diues est doctus. E. Q. doctus non est diues, conuersio per accidens rat. qualitatis. 3. Q. homo non est foemina. E. Q. non foemina est homo. Conu. per accidens rat. qualitatis. 4. Q. non - diues non est auarus. E. Q. non - auarus non est diues. Conu. simplex.

### §. 77.

O. propositio particularis particulariter vera conuerti potest per transpositionem mutatam ratione praedicati. Concludas per §. 37. a negatione praedicati particulariter sumti ad positionem subiecti, et mutabitur qualitas praedicati propositionis conuersae, seruata qualitate subiecti. Quodquidem est character conuersionis per transpositionem mutatam ratione praedicati (§. 72.)

SCHOL. e; g. 1. Q. homo est pius. E. Q. non pius est homo. Simul est conuersio simplex.  
 2. Q. non - diues est doctus. E. Q. non - doctus non est diues. Conu. per accidens rat. qualitatis.  
 3. Q. homo non est foemina. E. Q. foemina est homo. Conu. per accid. rat. qualit.  
 4. Q. non diues non est auarus. E. Q. auarus non est diues. Conuers. simplex.

### §. 78.

Omnis propositio particularis particulariter vera, conuerti potest per transpositionem mutatam ratione subiecti. Fiat argumentatio secundum §. 39. a posito praedicato particulariter sumto ad negationem subiecti. Et sic qualitas subiecti propositionis conuersae mutabitur, qualitate praedicati immutata. Quae conuersio, transpositio mutata ratione subiecti appellatur.

SCHOL. e. g. 1. Q. homo est pius. E. Q. pius non est homo. Conu. per accid. rat. qualitatis.

2. Q. non diues est doctus. E. Q. doctus est diues. Conu. simplex.

3. Q. homo

3. Q. homo non est foemina. E. Q. non foemina non est homo. Conu. simplex.

4. Q. non diues non est auarus. E. Q. non auarus est diues. Conu. per accid. ratione qualitatis.

§. 79.

O. propositio particularis part. vera contraponi potest. Quando enim, secundum §. 41, ratiocinamur, a negato huius propositionis praedicato particulariter sumto, ad negandum subiectum: et subiecti et praedicati propositionis conuersae qualitas mutatur. Hanc autem conuersionem vocant contrapositionem.

SCHOL. e. g. 1. Q. homo est pius. E. Q. non pius non est homo. Conu. per accid. rat. qualit.

2. Q. non diues est doctus. E. Q. non doctus est diues. Conu. simplex.

3. Q. homo non est foemina. E. Q. foemina non est homo. Conu. simplex.

4. Q. non diues non est auarus. E. Q. auarus est diues. Conu. per accid. rat. qualit.

## B. DE CONVERSIOINE PROPOSITIONIS PARTICULARIS UNIVERSALITER VERAE.

§. 80.

Omnis propositio particularis universaliter vera, nude potest transponi. Quoniam enim argumentatio, a posito huius propositionis praedicato, particulariter sumto, ad positionem subiecti legitima est: (§. 44.) praedicatum propositionis conuertendae in locum subiecti, et vice versa, poni potest, sine qualitatis terminorum propositionis mutatione. Propositio itaque conuertens nascitur per transpositionem nudam propositionis conuersae.

SCHOL. e. g. Q. homo est animal. E. Q. animal est homo. Conu. simplex.

2. Q. non simplex est compositum. E. Q. compositum non est simplex. Conu. per accid. rat. qualit.

3. Q. Triangulum non est Quadratum. E. Q. non - Quadratum est Triangulum. Conu. per accid. rat. qualit.

E 2

4. Q.



4. *Q. non-finitum non est creatura.* E. *Q. non creatura non est finitum.* Conu. simplex.

§. 81.

*Omnis propositio particularis vniuersaliter vera, conuerti potest per contrapositionem.* Quoniam a negato praedicato vniuersaliter sumto, ad negandum subiectum rite concluditur: (§. 44.) veram habemus propositionem, si mutata qualitate tam subiecti quam praedicti propositionis conuertendae, hoc vniuersaliter sumtum loco subiecti, et illud loco praedicati ponitur. At vero, si qualitas utriusque extremi propositionis conuertendae, conuersione mutatur: propositio conuertitur per contrapositionem. (§. 72.) Ergo.

**COROL. I.** Ex demonstratione patet, in contrapositione a negato praedicato vniuersaliter sumto, ad negandum subiectum, fieri argumentationem, seu, praedicatum propositionis conuertendae, mutata eius qualitate, vniuersaliter sumtum, propositionis conuertentis subiectum euadere. Quare conuertens propositio est vniuersalis, cum conuersa erat particularis. Ergo, si propositio particularis, vniuersaliter vera, per contrapositionem conuertitur, illa simul conuertitur per accidens ratione quantitatis. Hinc omnis propositio particularis vniuersaliter vera, conuerti potest per accidens ratione quantitatis.

**SCHOL. I.** 1. *Q. homo est animal.* E. *Quicquid non est animal non est homo.* Conu. Anonyma.

2. *Q. non simplex est compositum.* E. *Q. non compositum est simplex.*

3. *Q. Triangulum non est quadratum.* E. *N. quadratum est Triangulum.*

4. *Q. non finitum non est creaturā.* E. *Q. creatura est finita.* Conu. Anonyma.

**COROL. 2.** Contrapositio tamen propositionis etiam hoc modo institui potest, ut propositionis conuertendae praedicatum, mutata eius qualitate, particulariter sumtum, in locum subiecti; et eius subiectum, mutata qualitate, in locum praedicati propositionis conuertentis ponatur. Hac autem ratione quantitas propositionis conuertendae non mutatur.

**SCHOL. 2.** 1. *Q. homo est animal.* E. *Q. non-animal non est homo.* Conu. per accid. rat. qualit.

2. *Q. non-simplex est compositum.* E. *Q. compositum est simplex.* Conu. simplex,

3. *Q.*

3. Q. *Triangulum non est Quadratum.* E. Q. *Quadratum non est Triangulum.* Conu. simplex.  
 4. Q. *non finitum non est creatura,* E. Q. *creatura est finita.* Conu. per accid. rat. qualit.

## S. 82.

*Omnis propositio particularis uniuersaliter vera, conuerti potest per transpositionem mutatam ratione subiecti.* Si enim, secundum §. 44. argumentamur, a praedicato propositionis conuertendae particulariter sumto, ad negationem subiecti: qualitas subiecti propositionis conuertendae, facta conuersione mutatur. Quam quidem conuersionem, transpositionem mutatam ratione subiecti, vocant.

SCHOL. e. g. Q. *homo est animal.* E. Q. *animal non est homo.* Conu. per accid. rat. qualit.

Q. *Triangulum non est Quadratum.* E. Q. *non-Quadratum non est Triangulum.* Conu. simplex conf. Schol. ad §. 75.



E 3

THE.

## THESES DEFENDENDAE.

- I. In prima Figura minor propositio negans esse potest.
- II. Notitia Celarent et Barbara, reliquarumque minutiarum scholasticarum nobis, ut syllogismos reducamus, haud opus est.
- III. Non omnis falsum iurans, peierat. Iuramentum quod obiective, seu logice falsum; non autem subiective falsum est, perjurium dici nequit.
- IV. Testamenta non sunt Iuris naturalis.
- V. Consensum praesumtum Ius naturae ignorat.
- VI. Nullam esse legem sine superiore; negandum est. Leges enim conuentionales negari nequeunt.
- VII. Canon Iuris naturalis: sola laesio est iusta belli causa, cum hypothesi de bello punituo conciliari nequit. Ipse canon nec demonstratus, nec verus est. Status extremae necessitatis iusta quoque causa belli erit.
- VIII. Bellum punitiuum, quod nec simul esset reparatiuum, nec defensiuum, foret iniustum.
- IX. Non omne bellum reparatiuum, neque defensiuum, est bellum punitiuum.
- X. Regula: quilibet iuri suo renuntiare potest; falsa est. Licet, qui ius suum remittit neminem externe laedat: saepissime tamen remissio iuris est actio moraliter mala.
- XI. Iuramenta assertoria rite distinguuntur a promissoriis. Non omne iuramentum est promissorium.
- XII. Mutuum ad pacta gratuita referri nequit.



PRAE-

PRAENOBILISSIMO ATQUE DOCTISSIMO  
DOMINO  
RESPONDENTI  
S. D. P.  
PRAESES.

Magno sane , gaudio et honori duco , AMICE SVA-  
VISSIME ! TECum ascendere cathedram acade-  
micam , et dissertationem defendere , a doctissimis viris sub  
examen vocandam . Agnati , auditoris , fautoris , amici no-  
minibus hucusque mihi carus fuisti . Carior adhuc es ,  
cum socium TE in docto certamine habeo . RESPON-  
DENTI scribo , quem laudibus prosequi officii for-  
san , mei esset . Sed licet amplius hic sit campus , in quo pos-  
sit excurrere oratio : tamen de laude TVA fileo . Quiuis , cui  
TE nosse datum est , acumen ingenii , eruditionem praeclara-  
ram , integratam morum , sinceritatem cordis et reliquas ,  
quibus DEVS TE beatum reddidit , animi dotes , jam diu  
est miratus . Praedicatione mea nec indiges , nec eam expe-  
etas , quae TVA est modestia . Melius mihi pariter ac TIBI  
consulo , si , quae mihi in mentem dederunt , hanc dissertatio-  
nem promulgandi , TIBI narro . Nosti , quinimo testem  
TE habeo , me in praelectionibus meis logicis filum compen-  
dii , a Philosopho illo Ienensi , illustri D A R I E S , fauore et  
praeceptore meo pie deuenerando , in lucem editi , haec tenus  
esse sequutum . Licet quam maxima sit mea , erga virum cui  
multum debedo , et cuius praeclara in rem publicam litterariam  
merita nemini sunt ignota , pietas : inficias tamen ire nequeo ,  
non omnia in scriptis ipsis philosophicis satis mihi esse pro-  
bata . Quod quidem , salua pietate , ingenue profiteor . Ec-  
quis enim iuraret in omnia verba Magistri ? Aut quis crederet ,  
Philosopho , auctoritatis praeiudicium omni opera impugnan-  
ti,

ti, (et talem se praebuit ill. D A R I E S) bilem mouere, qui ab eius sententia recesserit. Nunquam fateor, (vt alia Logices capita taceam) a me impetrare potui, vt calculum adiicerem thesibus Viri illustris, primariis, quibus omnis de consequentiis immediatis nititur theoria. Cuilibet, scripta illustris D A R I E S euoluenti statim occurret, celeberrimum Auctorem 1) non distinguere propositionem vniuersalem veram, ab vniuersaliter vera; nec vniuersalem falsam ab vniuersaliter falsa propositione, (*vid. §§. 227. 229. Viae ad Ver.*) licet vniuersalem falsam a necessario falsa rite distinguat, (*cf. §. 241. l. c.*) neque 2) propositionem particularē veram et falsam a propositione particulariter vera et falsa, (*vid. §§. 227. 228. 230. Viae ad Ver. attendas tamen ad §. 252. l. c.*) 3) propositionem vniuersaliter veram pro necessario vera reputare. (*vid. Introd. in art. inu. §. 175. Quam quidem sententiam ill. Auctor mutasse videtur §. 136. Viae ad Ver.*) 4) propositionem particularē eandem habere cum propositione indefinita, cuius praedictum hypothetice cum subiecto combinatur. (*vid. §§. 226. 248. 250. V. ad Ver.*) Quae cum mihi non satis sunt probata: non potui non in praelectionibus meis saepe filum deserere, quod alias summa cum voluptate sequor. Causam, quare non idem cum illustri D A R I E S sentiam, publice indicare, mearum esse partium duxi. Quem in finem, theoriam de ratiociniis consequiae immediatae, si D E V S vitam et otium concesserit, dissertationibus academicis explicabo. Priorem sectionem nostra dissertatione sistit. Sancta mihi fuit regula, vt vestigia illustris D A R I E S, quantum fieri potuerit, premerem, nec a principiis, quae scripta eius philosophica exhibent, absque vrgente recedrem necessitate. Sed satis superque de scopo nostrae dissertationis. Coeterum, A M I C E S V A V I S S I M E , utrumque nostrum iure gratulari possum. Mihi quidem, R E S P O N D E N T E M, qualem T E iuuenient auditores. T I B I autem gloriam et honorem, quem solida atque docta responsione T I B I paries. Ad D E V M precor, vt quaevis prospera, fausta atque felicia T I B I euenire iubeat. Ego vero, de salute A M I C I semper laetabor. Vale. Scrib. Rostochii die 26. Aug. 1760.











Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/  
rosdok/ppn1003399428/phys\\_0048](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1003399428/phys_0048)


DFG

PRAENOBILISSIMO ATQVE DOC'  
DOMINO  
RESPONDE

S. D. P.

PRA

M agno sane , gaudio et honori duco , A  
VISSIME ! T E cum ascendere cath  
emicam , et dissertationem defendere , a doctis  
examen vocandam . Agnati , auditoris , fautor  
minibus hucusque mihi carus fuisti . Cari  
cum socium TE in docto certamine habeo .  
DENTI scribo , quem laudibus proseq  
fan , mei esset . Sed licet amplius hic sit campus  
sit excurrere oratio : tamen de laude TVA fileo  
TE nosse datum est , acumen ingenii , eruditio  
ram , integratatem morum , sinceritatem cord  
quibus DEVS TE beatum reddidit , animi d  
est miratus . Praedicatione mea nec indiges , n  
etas , quae TVA est modestia . Melius mihi pa  
consulo , si , quae mihi in mentem dederunt , ha  
hem promulgandi , TIBI narro . Nosti , qu  
TE habeo , me in paelectionibus meis logicis f  
dii , a Philosopho illo Ienensi , illustri D A R I E  
praeceptore meo pie deuenerando , in lucem ed  
esse sequutum . Licet quam maxima sit mea , er  
multum debeo , et cuius praeclara in rempublica  
merita nemini sunt ignota , pietas : inficias tamen  
non omnia in scriptis ipsius philosophicis satis m  
bata . Quod quidem , salua pietate , ingenue pr  
quis enim iuraret in omnia verba Magistri ? Aut  
Philosopho , auctoritatis praeiudicium omni operi



I

120

Image Engineering Scan Reference Chart TE63 Serial No.  
Patch Reference numbers on UTT